



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Meditationes Rerum Divinarum In Psalmos  
Quindecim**

**Hillesheim, Ludwig**

**Coloniae, 1572**

**VD16 H 3683**

103 Benedic anima mea Domino.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60352](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60352)

ARGVMENTVM PSAL  
mi 103.

Magna prouidentia Dei, fidesq; æterna rerum, quæ cœlo, mari, ac toto orbe terrarum fiunt, & ad vniuersi conseruationem facta sunt, agnoscenda & prædicanda est, summa cum diuinæ sapientiæ admiratione, gaudioq; bonorum, vt impij ac digni exitio sint, qui eam autoris Dei magnificentiam obfirmatis iniquitate sua animis non considerant, nec iustam ei tribuunt laudem.

MEDITATIO IN PSAL-  
mum CIII iuxta He-  
bræos CIIII.

**C**um omnia in vniuerso immensa cum nominis diuina gloria constituta sint, nec memoriam operũ cœlestium in animis impressam vlla vis extinguere possit, ea tamen in hac iactatione vitæ, qua ceu procelloso mari omnia turbulentis motibus feruntur, excitanda  
K s perpetua

perpetuū est, vt Dei veneratio atq; metus  
 & religiosa diuinarum rerum considera-  
 tio semper in mente versetur. Quæ non est  
 enim in hac perturbatione vitæ, affectio-  
 numq; impulsu vis? ad auertendum ab  
 ijs, in quibus & firmamenta salutis sunt,  
 & sempiternarum rerum cognitio inest?  
 vt magna ad resistendum vi opus sit, ne  
 in omnium conspectu versantem, inq; ani-  
 mis informatam notionem diuinam exu-  
 amus. Nos igitur intelligentiam nostrā  
 in illa eternitatis cognitione, vnde salus  
 omnium omnis oritur ponamus, eaque be-  
 atè fruamur. Quam excellens enim atq;  
 iucundum, & aeterno voluptatis sensu est  
 refertum? inditam tanto operi diuinita-  
 tis imaginem contemplari? mundum at-  
 q; ordinem vniuersi, gubernationemq;  
 admirabilem ac verè diuinam rerum, ex  
 aeterna potestate pulcherrimè constituta-  
 rum, in quas cogitationem desigens ani-  
 mus, spiritu regitur ac mente diuina, vt  
 ad tantorum operum autorem adorand-  
 dum

dum, iustam & religiosam venerationem  
impendat. Sequamur ergò præeuntem a-  
nimis nostris Deum, & hanc nobis impo-  
sitam legem arbitremur, vt contempta  
presentium rerum inanitate, Dei ingen-  
tia opera, quæ ordine, veritate, ratione, et  
constantia summa constituta sunt, religi-  
osè contemplemur, eoquæ sanctè adorato,  
ad ipsum laudandum omnes animi sensus  
& cogitationes referamus. Age ergò

Benedic anima mea Domino, *Collauda  
pradica.*  
eiusquæ maiestatem diuinam grata lau-  
datione affare.

Domine Deus magnificatus *Maximus  
es.*  
es vehementer, confessionem *Gloriam.*  
et decorem induisti, amictus *G. Magni-  
ficentiam.*  
lumine sicut vestimento.

SI enim DEVS magnitudinem cele-  
stem tuam, quæ ultra omnes natura  
metas effertur, imperioquæ aeterno cõstat:  
si misericordia, si iustitia, si sapientia &  
vniuersam diuina prouidentia vim ad  
animũ

ad animam reuocemus, certè gloriosa nominis tui ratio est, nec vlla sunt imagines rerum quantumuis illustres, quarum splendor non obsolescat prorsus, si cum illa diuinitatis tuæ gloria comparentur. Omnia enim caduca sunt, & a simulata gloria imaginem habent, at res omnes diuina tuæ, sempiterna laudis gloria nitentur, ipsæq; ornamentis abundant, quæ nulla res laesefactare possit. Vt summus honos atque splendor additus maiestati tuæ, ceu indumentum fit, eumque cœlestium in vniuerso operum immensitas, ceu clarissimum lumine prelatos faciat illustrem. Eius tam diuinæ gloriæ admirandam speciem in sublimi collocasti,

Celos sicut  
cortinam  
velum.

Extendens cælum sicut pel-  
lem, qui tegis aquis supe-  
riora eius.

**N**os si cœlestem gloriæ tuæ diuinæ lucem animis scelere imbutis non satis cernimus, etsi ea tam claris signis argumentisq;

menti s<sup>q</sup> luceat, attollamus oculos in cœ-  
 lum, & illam supra nos extensam mundi  
 molem, hoc sanctissimum templum tuum,  
 sedem domicilij tui contemplemur, quæ  
 eius magnitudo, quo artificio congesta,  
 quæ eius fundamenta acta sint, vt in tan-  
 ti operis perpetua & incredibili vertigine  
 atq; raptu, nixa firmamento suo constet,  
 atq; in sublimi altitudine immensa sic ex-  
 tensa abstractaque sit, vt ad illam vis nul-  
 la humana pertingere possit. Ac nos  
 quidem extimam tanti operis faciem vi-  
 demus, varijs splendentium syderum sig-  
 nis pulcherrimo apparatu exornatam,  
 cuius ambitu circumfuso omnia conti-  
 nentur: quod verò eius superiora ceu aquis  
 tegas, in eo animus admiratione defixus  
 heret, nec assequi opificij tam admirandi  
 cognitionem potest. Itaque sempiterna-  
 rum rerum effigies admirabundi intue-  
 mur, quæ constituta sunt potentia tua.

*Iux. Heb.  
Nubes, cur-  
rum tuum.  
Super alas  
ventorum.  
Legatos.*

Qui ponis nubem ascensum  
tuum, qui ambulas super pē-  
nas ventorum.

Qui facis angelos tuos spi-  
ritus, & ministros tuos ig-  
nem vrentem.

**O**Mnia quidem in vniuerso munera  
sua, natiuosque effectus habent,  
sed ratione occulta, ad voluntatem tu-  
am omni inclinatione natura se conuert-  
tunt, vt cum hominum causa facta, &  
ad boni vsu constituta sint, pro iustitia  
tua ratione generi humano aut utilita-  
tem adferant, aut offensa tua, qua ex  
grauibus delictis oritur inseruiant. Ita-  
que et nubes & ventorum vis, & omnis  
spirabilis natura, & incorporea mentes  
atque genij, qui tot o mūdo vagantur & in-  
errant, boni atque mali, ceu internunti-  
ostuos agunt. Idem etiam ministerium  
ignis & flammæ atque fulgura tibi pre-  
stant, vt vim potestatemque diuinam tuam  
presentem

presentem vndique & penetrantem omnia agnoscamus. O vim summam ac sempiternam tuam, quæ inclusa omnibus rebus est, vt efficientia earum omnipotentia tua seruiat.

Qui fundasti terram super *super ba-*  
 stabilitatem suam, non incli-*sem suã nõ*  
 nabitur in seculum seculi. *mouebitur*

Quantam enim potentia tua testificationem terrarum firmitudo habet? quæ terra in mundi medio ceu globo, ita est defixa, vt ne semel quidem se moueat, quod si fieret, mox conuersa orbis ad alterum terræ verticem facie, gentiumque situ inuerso, repentino lapsu, cum generis humani interitu omnia ruerent atque voluerentur: vt ea soliditas stupendo miraculo diuinitatis tuæ, perpetuitate sua constans, admirationem omnem humana mentis superet.

Quin &

Abyssus



*Abyssosicut vestimento operuisti eam.*

*Ascēderūt montes & descēderūt campi.*

Abyssus sicut vestimentum amictus eius, super montes stabunt aquæ.

Ab increpatione tua fugiunt, à voce tonitruui tui formidabunt.

Ascendunt montes & descendunt campi, in locum quem fundasti eis.

**N**am cūnī tota moles aquarum terras tegeret, atque etiam altissimorum montium iuga occuparet, te ceu horrendo tonitruo increpante atq; iubente, illa colluuiēs defluxit. Ac iam subsidentibus aquis, in quē terra cauernas inclusis, montes emersere, & vallium decliuitas camporumquē immensitas effecta est, omnem illum vastum ambitum terrarum includente Oceano, loco eo quē ei diuinitus destinaſti. Ne autē earū aquarū ex vniuerſa terra hiatibus defluens vis immensa terras submergeret, eis

Termin

Terminum posuisti, quem nō  
transgredientur, neque con-  
uertentur operire terram.

**N**imirum prouidentia tua diuina,  
ad conseruationem vniuersi om-  
nia relata sunt, vt subsidente gra-  
uitate sua aquarum vi, ea moles humo-  
rum in locum vnum cogeretur, ne assur-  
gere, aut terras vastare posset. Vt autē  
terra vsibusquē rerum creatarum omni  
ex parte prouideretur,

Qui emittes fontes in con-  
uallibus inter medium mon-  
tium pertransibunt aquæ.  
Potabunt omnes bestię agri,  
expectabūt onagri in siti sua.  
Super ea volucres cœli habi-  
tabunt, de medio petrarum  
dabunt vocem.

*Tu emittis.  
Iuxta Heb  
& G.  
Extinguēt  
onagri si-  
tim suam.  
Iuxt. Heb.  
De medio  
frondium.*

*Posteaquàm*

**P**osteaquam igitur te Domine mādā-  
 te, aqua in terra venas abditae cese-  
 runt, ac quicquid ex ijs amarum, ceu ē  
 corpore humano salsus emanans sudor, ne  
 satis terra & arboribus sterilitatem affer-  
 ret, vnum in locū collectum fuit, quae ma-  
 ris & Oceani aquae sunt, relictus intus in  
 terra cauernis, abyssorumque scaturigini-  
 bus dulcis humor est, qui aut aëre densa-  
 satus in guttas, è cogente frigore, aut ex  
 demissis e caelo imbribus, aut alia aliqua  
 occultiore vi collectus, fontes ac flumina,  
 quae è montibus oriuntur ac defluunt, effu-  
 cit. Eorum autem fontium riuulis suis per-  
 enni pulcherrimoque decursu terras distin-  
 guentiū, quae & quanta amoenitas? quam  
 varius ac multiplex vsus? cum & terras  
 foecundent, & grato ac gelido liquore ani-  
 mantium omnium sitim restinguant?  
 quanta etiam in his aquarum diuersitas,  
 quum acidus quibusdam sit sapor, quidā  
 etiā magna cū admiratione humane me-  
 tis, calidi ac feruentes è terra ebulliat, illa  
 ad

ad potum vtilis ac grata, vtræq; medicatarum aquarum vi, ad depellendos corporum morbos, hominibus salutes: ac fontium quidē pars maxima in flumina defertur, eorumq; vndas adauget, vt demū vastissima vi aquarū in Oceanum euoluantur. Quis aut vlla oratione eloqui possit, quantum in eo hominum & ferarum bestiarū et omnium animantiū vtilitati atq; commodis sit consultū? cū diuersis omnium terrarum finibus ferantur et nauigenter, potum prabeant ac pastum, varij generis piscium innumerabili prouētū, auri etiam & gemmarum vim infinitam prabeant. Quantus etiam ornatus littorū atq; riparum, quæ arboribus consistat, vsui & iucunditati vitæ seruiunt, tanta cum inuitatione, vt & volucres ibi domicilia sua statuunt, & arborum frondibus ac ramis insidentes, vario cantu leticiam suā testentur. Itaque tu totum terrarum orbē nō solum terrestribus aquis, verū etiam tuis cœlestibus bonis affluentem facis,

Rigans

*Turigas.*

*G. De cœna  
culis.*

*G. Produ-  
cis herbam  
pecorib. &  
holus serui-  
tuti homi-  
num.*

*Vt educat.*

*Et nitere  
facis.*

*Saturatur  
arbores*

*Succo abũ  
dant.*

*Ciconia do-  
mus sunt a-  
bietet, mon-  
tes excelsi  
damis.*

Rigans montes de superiori-  
bus suis, de fructu operum  
tuorum satiabitur terra.

Producens scœnum iumentis,  
& herbam seruituti homini.

Vt educas panem de terra, &  
vinum lætificet cor hominis.

Vt exhilaret faciem in oleo,  
et panis cor hominis cõfirmet

Saturabuntur ligna campi, &  
cedri Libani quas plantaui,  
illic pasceres nidificabunt.

Herodij domus dux est eorũ,  
montes excelsi ceruis, petra  
refugium erinaceis.

**Q**uæ enim non omnipotentia ac be-  
neficientia tuæ in tantorum bonorũ  
concessione vis est atq; utilitas? quum im-  
bribus è sublimi demissis montes irrigan-  
tur, vt penetrante per terra cauernas, ac  
subsidente per tantam montium molem  
humore

humore, materia fontibus ac fluuijs præ-  
beat, ea pluuia aqua in terras, ac cam-  
porum spacia effusa, agros fœcundant, vt  
hominum accedente cultura, omni gene-  
re frugum ac fructuum fertiles fiant, ac  
pastum omnibus præbeant hominibus at-  
q; iumentis. Hominibus quidem non so-  
lum frugibus suppeditatis, vnde panis con-  
ficiatur ad victus rationem, verum etiam  
ex vinedrum cultura proueniente vino,  
cuius vsus animi hilaritatem induceret.  
Ac ne quid maximis commodis deesset,  
olei etiam liquor est datus, quo corpora  
ad nitorem atque cultum inungerentur.  
Ad animantium autem vsum, gramina  
quibus pascantur, copiose germinant &  
crescunt, quæ omnia percipiuntur, cœli  
temperatione imbribus demissis terras fœ-  
cundante. Hac tuæ benignitatis im-  
mensitas, non animatis solum impensa  
est, verum etiam ad res inanimas pertin-  
git: omnia enim arborum genera, etiam  
earum, quæ non humano cultu proueni-  
unt

unt, sed quasi diuinitus consita, sponte accrescunt, pluuia fecundat, ut caelo capita ardua tollant. In quarum arborum cœcavitatibus & ramis, aues domicilia sua ac nidos ponunt. ac quum eadem arbores speluncas atque rupes obumbrant, feris etiam receptacula præbent, eis quæ profugio sunt, bonitate se tua ad omnia profereunte. Sed frustra arbores atque sata imbribus perfunderentur, nec maturitatem aliquam adsequerentur ea, quæ gignantur e terra, omnia etiam informi caligine tegerentur, nisi potentia tua admirabilitate luminum summa, moderatis ac temperatis caloribus & effectibus omnia impleuisset. Quamobrem

*Tu fecisti.*

Fecit luna in tempora: sol cognouit occasum suum.

*Vagantur.*

Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibit omnes bestię syluæ.

Catuli

Catuli leonū rugiētes vt rapi *Ad pradā*  
ant, & quærāt à Deo escā sibi, vt, &c.

Ortus est sol, & congrega- *Oriente so*  
ti sunt, & in cubilibus suis *le congre-*  
collocabuntur. *gantur.*

Exit homo ad opus suum, *Conquies-*  
& ad operationem suam vs- *cant.*  
que ad vesperam. *Laborem.*

**N**Am vt temporum spacia distingue-  
rentur, & calore ac luce cœlesti om-  
nia vegetarentur, etiam nascentium re-  
rum ortus temperaretur, effecta inter re-  
liqua sydera, ingentia solis ac luna lumi-  
naria sunt, quæ vtraque celeritate incredi-  
bili, intra viginti quatuor horarum spa-  
cia, terras omnes ambiunt, diemque ac  
noctem paribus interuallis efficiunt. ac-  
quum sol anno signorum cœlestiū zonam  
percurrat, sit eius aut longinquoire à no-  
bis recessu, aut proprioire accessu, vt tempo-  
rū vices mutantur, quæ quidē mutatio &  
corporibus hominū, et omnibus nascētibus  
est



est salutaris. At lunæ cursus menstruum  
 est, cuius ad generandum, corporumque  
 qualitates mutandas, maris etiam & O-  
 ceani alterandos aestus, admirabiles effe-  
 ctus sunt. Vtrorumque horum luminum,  
 quæ opificio, ô pater ac Domine, tuo fa-  
 cta sunt, decursu temporum ordo, summa  
 cum omnium rerum incolumitate, con-  
 stat. Inter has singulas temporum re-  
 uersiones, quum occidente sole nox effici-  
 tur, tenebræque terris inducuntur, homi-  
 nes à labore diurno interquiescunt, at fe-  
 ra bestia, quæ in desertis locis degunt, ad  
 pastum suum, qui pro natura earum ra-  
 tione eis abs te destinatus est, quærendû,  
 nemora & saltus pererrant, eadem, quum  
 oriente sole dies fit, in lustra sua se recipi-  
 unt, vt tutiores sint, inq; antris delitescen-  
 tes, occultant. Homo autem solis exortu  
 ad opus suum ac laborem se accingit, inq;  
 eo interdum versatur, donec ad requiem ca-  
 pescendam nox redeat. In quo significa-  
 tio ingens abs te diuinitus est facta, ad  
 quem

quem finem sit procreatus. Quemadmodum enim ei labor impositus & arumnae sunt, quibus continenter tota vita defatigatur: Ita eius spacio peracto, quum mors ei ceu nox imminet, laboribus omnibus persuncto, ad quietem aditus est atque vita, ut si se totum ad tuum imperium, ac voluntatem in vitam conuerterit, à morte corporis, quiete sempiterna beneficio tuo fruatur, & abundet. Itaque eum vitam statum ab nascendi initio, usque ad vitam finem obtinere debemus, ut nullo puncto temporis intermisso, in tuis iussis versemur, spe certa animo concepta, ut post exantlatos in terra labores, inter beatas in caelo mentes perpetuo securi viuamus. Interea autem in hac imbecillitate natura, gloriam tuam diuinam, ad res omnes conditas se omnipotente vi benignè proferentem veneremur, in eamque considerationem adducti gratis animis dicamus:

L Quam

Magnifica. 238

MEDITATIO

Bonis plena  
tellus.

Impleta est  
terra crea  
tione tua.

Iux. Heb.  
Leuiathan  
Cete.

Ad luden  
dum in eo.

Quàm magnificata sunt op  
ra tua Domine, omnia in la  
pientia fecisti, impleta est te  
ra possessione tua.

Hoc mare magnum & spaci  
osum manibus, illic reptilia  
quorum non est numerus.

Animalia pusilla cum magni  
illic naues pertransibunt.

Draco iste quem formasti ad  
illudendum ei.

**Q**uocunque certè mentem atq; oculos  
vertimus, testificatio ingens exor  
itur magnitudinis, sapientiæq; infi  
nita tua, per quam omnia rectè constitu  
ta sunt, & ordinem suum perpetuò tuen  
tur. Eam admirationem non solum reru  
terrestrium, sed & marinarum contem  
platio magnitudine sua adauget. Quàm  
immensa enim maris & Oceani spacia  
sunt? quæ terras omnes ambiunt, vti litæ

tis magnitudine summa, vt ad hominum  
 commercia, maria omnia omnibus genti-  
 bus, sinibusque terrarum nauigentur:  
 quam etiam commemorabilia, qua in il-  
 la aquarum immensitate, & ad vsum ho-  
 minum, & admirationem reperiuntur?  
 animantium atque piscium varij generis  
 innumerabiles vitæ ac formæ, & innatan-  
 tium beluarum monströse effigies, è qua-  
 rum numero balena est, quæ propter mag-  
 nitudinem immanem, summo cum stupore  
 humana mentis, singulari consilio tua  
 generata esse videtur, vt in illa aquarum  
 profunditate, ingens belua quasi ad oble-  
 ctationem versetur. Sed quis ea omnia  
 enumeret, quorum infinita varietas atque  
 vis est? quæ animus considerans, in illis  
 singulis tuæ mentis diuinæ imaginem in-  
 tuetur. Atque ea

A te pendet  
 omnia.  
 cibum.

Omnia à te expectant, vt des  
 illis escam in tempore.  
 Dante te illis colligent, aperi-  
 ente

ente te manum tuam omnia  
implebuntur bonitate:

*Bonis.*

Auertente autem te faciem  
turbabuntur.

**V**T in vniuerso omnia tua vnus po-  
testate stent, inque omni parte &  
conditione vita adiuuentur & conseruen-  
tur. In quo omnis natura rerum benigni-  
tati tuae vsibusque humanis deseruit coe-  
lum, mare, flumina, infera atque supera,  
vnde te illis ceu de manu largiente, passus  
ad facietatem, & ad voluptatem suppetit,  
qua si te offenso deterior aliqua contagio  
perturbauerit, aut maligniore aura caelum  
immutante, aut terra sterilius fructus fe-  
rente, aut alia aliqua calamitate vel flu-  
minum vel imbrium incidente, statim  
omnia praterita, atque ira tua grauitate  
perculsa iacent, et se a summo interitu tu-  
eri non possunt. Eius in humana vita quo-  
tidiana singulisque momentis imagines oc-  
currunt, quas vtinam o Pater ac Domine  
iugi

iugi cogitatione ad animū reuocaremus, ita enim fieret, vt te propitio, affluentibus ad voluntatem nostram rebus, benignitatem aduersus nos tuam gratē ac religiosē agnosceremus, ac te pro eo gratijs prosequeremur ac laude: at si tristitia euenerint nosq; afflixerint, ad auertendam communitam offensam nos totos verteremus, nūc aut secunda aura elati, aut aduersa pressi, per summū scelus abs te deficimus, extrema cū conditionis nostra clade, interituq; aeterno. Itaque in tua benigna potestate, cui omnia parent ac cœlesti tutela, quam nemo eripere potest, salus omnium continetur atque consistit. Tu enim solus

Auferes spiritum eorum & deficient, & in puluerem suum reuertentur.

Emitte spiritum tuū & creabuntur, & renouabis faciem terræ-

*Emittes spiritum.*

Vre igitur principatum omnium rerū  
 maiestati tuæ vniuersa deferunt atque  
 tribuunt, quo volente subito viribus pri-  
 uantur, ac spiritum sensumque viuendi  
 amittunt, vt in puluerem atque nihilum  
 redigantur ac desinant. At rursus si ea po-  
 tentia tuæ benignitatisque aura afflauerit,  
 emergunt iterum ac creantur, & saluta-  
 rem spiritum hauriunt, vt quasi noua or-  
 bis ac rerum facie omnia vegetentur.  
 Quam salutaris autem, & ad omnem au-  
 ferendum dolorem, valens ista considera-  
 tio est? in numinis tui potentia diuina,  
 omnia posita esse? vitam, conseruationem  
 salutem, ac nos etiam morte deletos & in  
 natium cinerem fatali necessitate con-  
 uersos, multò quam antea illustriore con-  
 ditione fore? ac quasi de nouo creatum,  
 nec vnquam à beata immortalitate segre-  
 gatum iri? Ergò te Dominum vitæ atque  
 mortis, potestate æterna excellentem & cu-  
 ius omnis est dominatus in cælo & in ter-  
 ra, demisse oro, vt posteaquam ea pars no-  
 stra,

stra, quæ mortalis, sopita & in monumen-  
 tum delata erit, nec quicquam ex ea nisi  
 cinis atq; puluis supererit, viuat apud te  
 spiritus, ac cum supremus mundi dies ade-  
 rit, renouata conditionis nostræ imbecilli-  
 tate, ad tuam imaginem renouemur, te-  
 cumq; in sempiternum viuamus. Noui  
 enim te redemptorem meum viuere, qui  
 nouissimo tempore adhibebis tuam diui-  
 nam vim huic pulueri. Ac posteaquam  
 circumdatus ero hac mea cute, spectatu-  
 rum me Deum è carne mea, quem ego  
 mihi contemplantur, & oculi mei videbunt,  
 & non alius, quod est vnicum desiderium  
 meum. Interea in hac infirmitate vitæ,  
 eternitatis adsequenda spe, me consolabor  
 ac sustentabo. Etenim

Iob. 19.

Erit gloria  
 Domini.

Duret glo-  
 ria domini  
 Sit Domini  
 maiestas æ-  
 terna.

Sit gloria Domini in seculū,  
 lætabitur Dominus in operi-  
 bus suis.

L 4 Qui Regnet di-



uina maie-  
stas inper-  
petuum.

Qui respicit terram, & facit  
eā tremere, qui tangit mōtes,  
& fumigant.

**O** speratā atq; exoptatā nostrā sortem,  
quos diuina vis sempiterna numinis  
sui gloria faciet illustres, quos vti opus fuit  
late agnoscet, quos sua prouidentia è sum-  
ma maiestatis sede benignè aspiciet, ad  
idq; confirmandum potentie suae testifica-  
tionem dabit. Et si igitur in hoc vita decur-  
su multa accidant, quae animum sollicitu-  
dine impleant, tamen cum momentanea  
omnium eorum ratio sit, Deus aspera om-  
nia inimicāq; auferet, ac nos laborantes  
& afflictos ita benignè respiciet, vt & ope-  
ra nostrā probet, & vita ad eius volunta-  
tem comparata series, ei grata sit futura.  
Vt autem eius recordatio in animis no-  
stris semper versetur, ille prouidentia sua  
diuina, ita res omnes temperat, vt terras  
inuisere ac respicere videatur, saepe etiam  
monimenta diuinitatis suae plurima, &  
antiquitus ostendit & quotidie adit: in-  
terdū

terdum etiam tremefacto terramotibus  
 orbe, montibusq<sup>3</sup>, tactis fulmine, vt & ma-  
 lis ea res terrori sit, ac bonorum spes & fi-  
 ducia confirmatior fiat. Vident quidem  
 vtrig<sup>3</sup>, tantorum operum varietatem, mi-  
 rabilesq<sup>3</sup>, effectiones, sed nec curant mali,  
 nec gloria diuina splendorem admittunt.  
 boni verò non solum noticias diuinarum  
 rerum ex similitudine terrenarum agnos-  
 cant, verum etiam incredibili ex his cupi-  
 ditate ad Dei gloriam contemplandam  
 excitantur, & occultiore vi sacratis ani-  
 mis consilium eius, ac salutarem benefi-  
 centiam agnoscunt. Magna ac sempi-  
 terna Dei gloria ex vniuersi creatione est,  
 sed ea summa omnibusq<sup>3</sup>, seculis admirā-  
 da est facta, misso in terras filio ac serua-  
 tore CHRISTO, eiusque sanguine, hu-  
 mano genere, ab summa conditionis mise-  
 ria, gloriose liberato, vt cum propter ho-  
 minis scelus poenitudine affectus fuisset,  
 ad eum asserendum diuinitatis suae vine  
 afferret, atque iterum in opere suo latere-

L 5 tur.

Luc. 2. tur. Hanc gloriam & cœlites annuncia-  
 Ioh. 1. runt, atq; ipsi vidimus, gloriam vnigeni-  
 ti à patre, cuius splendor in animos priorū  
 ita est diffusus, vt quemadmodum fonti-  
 bus ac fluminibus atque imbribus è celo  
 demissis, terra & agri irrigantur, vnde et  
 Ioh. 15. frumentorum, & vini & olei copia pro-  
 uenit: ita pia mentes sancto spiritu perfu-  
 sa, fœcunda fierent, vt pane verbi diuini  
 ipsius quæ veritate alerentur ad æterna-  
 tem, vt vino ex vite vera CHRISTO  
 eiusq; mandatorum cœlestium gratissi-  
 ma & dulcissima obseruatione, vera hu-  
 militatis sensu implerentur, profunderen-  
 turq; oleo laticia, quo eos in sempiternum  
 Psal. 44. inunget Deus, quum ex hac misera vita,  
 ad æterni ipsius domicilij sedem transfe-  
 rentur. Interea autem vt sol splendore suo  
 tenebras discutit, ita Deus luce immensa  
 & æterna animos perfundit, ne vnquam  
 aut errorum, aut calamitatum nocte op-  
 primantur, sed vt ipsius gratia lumine,  
 & in terra abundant, & in cœlum trans-  
 lati

lati ad omnem temporum aternitatem gloria eius illustrentur. O immensitatem benignitatis diuinæ, quā vtinam omnes nationes, atque gentes vltimæ venerentur & agnoscant. Harum rerum contemplatione, in quibus firmamenta salutis atque praesidia sunt, animo confirmato

Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo quādiu sum.

Iucundum sit ei eloquiū meum, ego verò delectabor in Domino. *Latabor.*

Deficiant peccatores à terra, & iniqui ita vt amplius non sint. *Consumantur.*

**Q**uid enim est, quod tribui illi sublimi essentia Dei à nobis possit? præter nominis eius laudem, qui & condidit omnia ordine admirando, & immensa numinis sui vi beneficentiaq; sustentat. Non enim ei victima aut taurorum,

L 6 aut

aut ea quæ cadere atque sanguine animantium fiunt, sacrificia probantur, quæ obrem ei, gratiarum atque laudis hostiâ offeremus, quoniam & nos in hac vita gubernat omnipotentia sua, & filij sui interuentu animos nostros à sempiterno interitu liberos facit. Quanquam autem eius sublimitati nulla perfecta laus tribui possit, tamen quoniam ea ab hominibus ipsi addictis in hac fragilitate vitæ, quasi ex ore infantium & lactentium profertur, nos quoque balbutiente lingua monumenta diuinitatis sempiterna, & cœlestium operum magnitudinem, laus, eiusquæ misericordia fidentes prædicabimus, quæ diu erimus in terris, nec vllum erit tempus, quod non ad celebrandum eius nomen impendendum sit. Atque vtinam ij quorum à Deo auersa mens est, dispereant, nec supersint amplius, quoniam numini eius contumeliam faciunt, nec vim ipsius salutarem et omnia conseruantem agnoscunt. Cùm igitur  
Dei

Dei potentia & clementia nullis rerum  
ac temporum finibus terminetur,

Benedic anima mea Domino.

**E**T spectās ingentia diuinitatis opera,  
ad eius nomen gloriosum ac sanctum  
venerandum te conuerte. Eò enim te ceu  
vox adducit natura, & hic rerum pulcher  
rimarum ordo, quo salus continetur vni-  
uersi, omnium gentium animos, omnium  
terrarum fines implet, vt prouidentiam  
diuinam alto imperio suo gubernantem  
omnia & continentem confiteantur.  
Nec tu inferiora, aut negligi a Deo, nec ei  
non esse cura putes. Summa atq; vna eius  
prouidentiæ lex est, quæ humilia respicit  
& excelsa, in cælo & in terra, vt nihil in  
illa diuina natura magnum sit, aut par-  
uum, ac quo non eius se cura atque procu-  
ratio extendat. Ergò anime mi, libera  
hac te cura, ascende ad cor altum, & te  
fidei diuinæ cōcreditum commendatum-  
q; esse certò agnosce. Nec te aduersa ab-  
strahant vitæ, aut ad vllam iniquam de

Deo cogitationem adducant. Nam quae ex illis oritur recordatio, vi doloris expressa est, nullam aut prorsus debilem rationem habet. Dei enim voluntas certum sibi constituit terminum, qui ferendus cum patientia, expectandusque est conuersa in eum fide, eoque adorato benedicendum nomini eius sancto inter omnia, quoniam ipse nunquam gratia oblitus sua, secundum misericordiam suam uiuificabit te spiritu suo, inque lucem adducet. Hac te cogitatio in caelum sufficientem, videntemque hac tanta opera, ad Deum adducat, inque eius sistat conspectu, ut illa abiecta tristitia animi, Deo tuo, pro omni eius misericordia gratias tota vita agas, & ei omni affectione cordis benedicas: certa spe & indubitata fore, ut quicquid in mente tua turbidum est, ea illustretur luce, quae viam tibi in caelum, & ad Deum faciat, quo desideria tua intenta sunt. Imple hoc desiderium meum Deus meus, & nunc spectatorem superarum

perarum ac coelestium rerum in terris,  
incolam fac aeterni domicilij tui, vbi ve-  
rata gloria contemplatione fruatur, &  
ab his gemitibus liber, in tuo conspectu  
inter beatas in celo mentes tibi in sempi-  
ternum dicam Halleluia.

*Meditationis in Psalmum  
CIII. finis.*

ARGUMENTVM PSAL-  
mi CX.

Ex magnis operibus Dei, eius iustitia  
& benignitas, & aeternum cum homine  
firmatum gratiae foedus elucet, vnde De-  
um timentium aeterna est beatitudo ac  
salus.

*Meditatio*